



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

Titulus VII. Pastor bonus Christus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

quo ita sunt ordinata omnia; ut id, quod est præcipuum in homine, & excellens, hoc imperet cæteris non reluctantibus, quæ sunt nobis, bellijque communia. S. August. l. 1. de ferm. D. in monte c. 8.

Anima mea. Luc. 1. 46. Toletus: rectè inquit B. Virgo *anima mea*: quia ipsa sola habebat animam suam in potestate sua, ejusque erat domina: quia illam possidebat per patientiam, & affectum, passionumque omnium dominium. At nos non possidemus animam nostram, quia possidemur ab ira, superbia &c. apud Cornelium hinc.

Servit omnis, qui auctoritatem puræ non habet conscientia. Servit, quicumque vel metu frangitur, vel delectatione irretitur, vel cupiditibus ducitur, vel indignatione exasperatur, vel mærore dejectur: servilis enim est omnis passio. S. Ambros. de Jacob & vita beata l. 2. c. 3.

Quemadmodum acerba vulnera nec levem quidem manû contractum ferunt; sic & animus perturbatus difficilis est, & morosus; & ad omnia indignatur; quovisque verbò mordetur, & oenditur. S. Chrysof. hom. de fide Anna.

Nihil æquè affligit, ac si anima obsideatur à perturbationibus. Aliæ enim extrinsecus incidunt; hæ verò intus nascuntur: & hæc est maxima afflictio. Etiam si nos vexet Mundus, nos autem ipsos non vexemus; nihil nobis fuerit molestum. In nostra potestate situm est, ut vel affligamur, vel non affligamur. S. Chrysof. in Pf. 4.

Unusquisque affectus, ac perturbatio, cum prævalet, ac dominatur rationibus sibi subjugatis; animi nostri tyrannus exiit. S. Gregor. Nis. or. in fun. Pulcheria.

Animus ipse sibi sarcina est, donec & sperare definat, & timere. Hildebertus ep. 1.

TITULUS VII. PASTOR BONUS CHRISTUS.

ERadit quasi pastor gregem suum. Eccl. 18. 13. Christus pluri videtur facere pastoris nomen, quam regis: hoc aspernatus est; & in morte inclinans caput à titulo regis deflexit; tùm contra seipsum pastorem nominer Joan. 10. 11. Et licet habuerit progenitores nobiles, maxime tamen, se à pastore descendere, indicare voluit. *Liber generationis Jesu Christi Filij David.* Matth. 1. 1. de quo Pl. 77. 70. *& elegit David servum suum: & suscepit eum de gregibus ovium.* If. 40. 11. *sicut pastor gregem suum pascet.* Octavianus in Eccl. 18. 13. *Imponit in humeros suos gaudens.* Luc. 15. 7. Ovis onus videtur; sed corona est. Tertull. l. 3. adv. Marcion. c. 9. novus rex novorum ævorum Christus Jesus novæ gloriæ; & potestatem, & sublimitatem suam, humerò extulit. Naxera in Jos. 3. 8. 13.

Ego sum pastor bonus. Joan. 10. 11. Ego enim sum, qui, quod infirmum est, consolido; quod ægròtum, sano; quod contractum, alligò; quod errans reduco; quod perijt, quaero. S. Basil. Seleuc. or. in prædicta verba. Cur non dicit: ego sum Samaritanus? quia ille magna charitatis fuit. *Quia Samaritanus, iter faciens, casu invenit miserum: at bonus pastor multà curà errantem ovem quaesivit.* Sylveira c. 19. in Joan. 10. *Et cognosco meas.* Joan. 10. 14. Theophylactus: mercenarius oves ignorat; rarò enim visitat. Pastor bonus oves agnoscit, quia frequenter visitat. If. 7. 14. *vocabitur nomen ejus Emmanuel.* En pastoris nostri proprietat. Quid Emanuel? *nobiscum Deus.* Eicobar l. 9. sect. 2. obs. 4.

Tanquam ovis ad occisionem, ductus est; & sicut agnus &c. Act. 8. 32. Dicitur ovis, cum sit pastor bonus, S. Basilus Seleuc. pastor pro ovibus tanquam ovis jugulum præbet. Præclarum boni pastoris insigne est, ut pro jugulandis ovibus ipse se ad mortem offerat. In nullo discrimine, in nulla actione suos videt, quod ipse in se dissimulet, & in se non assumat. Sylveira hic.

Quis pastor oves proprio pascit cruore? & quid dico pastor? Matres multæ sunt, quæ post partus dolores filios alijs tradunt nutricibus. Hoc autem ipse non est passus; sed ipse nos proprio sanguine pascit, & per omnia nos sibi coagmentat. S. Chrysof. hom. 60. ad pop. Antioch.

Miscellanea.

Fuit autem Abel pastor ovium. Gen. 4. 2. S. Basilus hom. de M. Mamante: nè contempnas virum, ubi pastorem audis: qui Deo primus placuit Abel; pastor fuit. Moyses, magnus ille Legislator, pecudes pavit in monte Horeb. Ex. 3. 1. 2. & per pasturam ad colloquium Dei pervenit. Jacob Patriarcha pecudes pascendo pro veritate patientiam ostendit. David à pecudum pastura pervenit ad regnum. Sorores quædam sunt, pastura, & regni administratio: quapropter Dominus utraq; complexus, & pastor est, & rex. Pf. 22. 1. *Dominus regit me.* Sept. *Dominus pascit me.* Mendoza in 1. Reg.

•9. 3.